



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **SS. MAE TRINITATIS IN ALMATA** *IN
CAZAKISTANIA NOVA DIOECESIS SANCTISSIMAE

TRINITATIS IN ALMATA APPELLANDA, ERIGITUR Dilectae Almatensis catholicae communitatis spiritalem contuentes
progressum et fidelium numerum constanter augentem, Nos laetantes festinamus ibidem novam dioecesim instituere.
Ideo, re mature deliberata audito que voto quorum interest, Administrationem Apostolicam Almatensem ad gradum et
dignitatem dioecesis extollimus Sanctissimae Trinitatis in Almata nuncupandae, eamque facimus metropolitanae
Ecclesiae Mariae Sanctissimae in *Astana* suffraganeam eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi illius Sedis
subiectum. Novam dioecesim volumus iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione esse obnoxiam. Sedem
novae dioecesis in urbe vulgo « Almaty » ponimus, ecclesiam vero sub titulo Sanctissimae Trinitatis in eadem urbe
exstantem ad gradum Ecclesiae cathedralis evehimus, iuribus ac privilegiis concessis quae ad eiusmodi templa spectant.
Quod autem ad novae dioecesis pertinet regimen, bonorum ecclesiasticorum administrationem, sede vacante
administratoris electionem, alumnorum Seminarii institutionem, fidelium iura horumque similia, serventur quae sacri
canones praescribunt. Haec autem, quae praescripsimus, committimus perficienda Venerabili Fratri Iosepho Wesolowski,
Archiepiscopo titulo Slebtensi et Nuntio Apostolico in Cazakistania, vel, absente eo, illi qui negotia curat Apostolicae
Sedis in eadem regione, ac omnes eis tribuimus necessarias et convenientes facultates, etiam subdelegandi quemvis
virum in dignitate ecclesiastica constitutum, onere imposito ad Apostolicam hanc Sedem sincerum actus effectae
exsecutionis exemplar sedulo mittendi. Has denique Litteras Nostras ratas et firmas esse nunc et in posterum volumus,
quibuslibet rebus minime obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die decimo septimo mensis Maii, anno
Domini bismillesimo tertio, Pontificatus Nostri vicesimo quinto.*

ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*

Franciscus Bruno, *Protonot.*

Apost.

CRESCENTIUS card. SEPE

Congr. pro Gentium Evang. Praef.

*A.A.S., vol. XCV (2003), n. 9, pp. 567-568 © Copyright 2003 - Libreria Editrice Vaticana